DAVIDIS RUHNKENII

IN

IUSTINI HISTORIAS PHILIPPICAS EMENDATIONES INEDITAE.

Asservatur in bibliotheca *Lugduno-Batava* fasciculus (*Ruhnk.* 83), varias DAVIDIS RUHNKENII in utriusque linguae scriptores adnotationes criticae potissimum indolis continens. Quae cum singulae eximiae summi viri sagacitatis atque prudentiae possint esse documento, longe tamen praestantiores videntur quas in *Latinos* scriptores proposuit emendationes. Quarum praecipuas publici iuris fieri atque libello nostro ornamento esse cum per eximiam IACOBI GEELII, V. Cl., humanitatem atque liberalitatem liceat, initium iam faciam ab iis, quae ad IUSTINI *Historias Philippicas* annotata inveni; quibus mox alia addam.

IUSTIN. *hist. Ph.* I. 2 (*pag.* 17 *Gron.*). Sed et Indiae bellum intulit; quo praeter illam et Alexandrum Magnum nemo *intravit.* — An *penetravit?*

Ib. I. 4 (*pag.* 23 *Gron.*). Ac ne sic quidem somnii metu deposito, gravidam ad se filiam arcessit, ut sub avi potissimum oculis partus *necaretur.* — L. *crearetur.* V. ad Nepot. Iphicr. c. ult. Bun. ad Lactant. IV. 13. Burm. ad Aeneid. IV. 367. Davis. ad Minut. Fel. p. 117.

II. 1 (*pag.* 57). Ceterum si mundi, quae nunc partes sunt, aliquando unitas fuit, sive illuvies aquarum principio rerum terras obrutas tenuit; sive ignis, *qui et mundum genuit,* cuncta possedit, utriusque primordii Scythas origine praestare. — Glossa: *qui et mundum genuit.*

II. 2 (*pag.* 66). Prorsus ut admirabile videatur, hoc illis natura datum, quod Graeci longa sapientium doctrina *praeceptisque philosophorum* consequi nequeunt. — Glossa: *praeceptisque philosophorum.* Tacit. Ann. XIII. 42.

II. 4 (*pag.* 72). Duae his reginae fuere, Marpesia et Lampedo, quae in duas partes agmine diviso, inclytae iam opibus, vicibus gerebant bella, soli terminos *alternis* defendentes. — Glossa: *alternis.* v. Gronov. p. 790, et Burm. ad Antholog. T. I. p. 438.

II. 6 (*pag.* 82). Quippe non advenae, neque passim collecta populi colluvies originem urbi dedit; sed *eodem innati solo, quod incolunt: et* quae illis sede, eadem origo est. — Glossa: *eodem innati solo, quod incolunt: et.*

II. 13 (*pag.* 113). Erat res spectaculo digna, et *aestimatione* sortis humanae, rerum varietate mirandae, in exiguo latentem videre navigio, quem paulo ante vix aequor omne capiebat. L. *aestimatio.*

II. 15 (*pag.* 118). Ducem suo sociorumque exercitui deligunt Pausaniam, qui pro ducatu regnum Graeciae affectans, proditionis praemium cum Xerxe nuptias filiae eius paciscitur, redditis captivis, ut fides *regis* aliquo beneficio obstringeretur. L. *regi.*

III. 5 (*pag.* 133). Lacedaemonii quoque eo *conspiratius* ad arma concurrunt, quod adversus servos dimicandum videbatur. Ex varia lectione leg. *connixius.*

VI. 3 (*pag.* 185). Porro Pisandrus pro coniunctione Agesilai etiam virtutum aemulator erat, contendebatque, ne *a* rebus gestis eius, et gloriae *splendore decederet.* — L. *ne rebus gestis eius et gloriae splendori cederet.*

VI. 5 (*pag.* 189). Itaque, quae incensa fuerunt, praedarum *sumtu* et exercitu Persarum restituit. — L. praedarum *fructu.* Corr. Propert. III. 1. fin. — Iuret. ad Symmach. p. 231 et Burm. ad Anthol. T. I. p. 449.

VII. 6 (*pag.* 212). Conciliante nuptias fratre patruele, altore virginis, Arryba, rege Molossorum, qui sororem Olympiadis Troada in matrimonio habebat: quae causa illi exitii, malorumque omnium initium *fuit.* — L. *fuerunt*; scil. nuptiae, v. p. 215.

VIII. 1. (*pag.* 216). Factum Phocensium, tametsi omnes ex-

secrarentur propter sacrilegium, plus tamen invidiae Thebanis, a quibus ad hanc necessitatem compulsi fuerant, quam ipsis *intulit.* — L. *inussit.*

VIII. 2 (*pag.* 218). Illum vindicem sacrilegii, illum ultorem religionum: quod orbis viribus expiari debuit, solum qui *piacula* exigeret, exstitisse. — Glossa: *piacula,* v. p. 635, 673, 676.

VIII. 5 (*pag.* 226): Sed pactio eius fidei fuit, cuius ante fuerat deprecati belli *promissio.* — L. belli *remissio.*

IX. 6 (*pag.* 244). — adeo ut etiam stricto gladio eum Philippus consectatus sit, aegreque a filii caede amicorum precibus *exoratus.* — Leg. *revocatus* [quod est in Cod. Bodl. Gron.].

IX. 8 (*pag.* 247). Gratiam fingere in odio, in gratia offensam *simulare,* instruere inter concordantes odia, apud utrumque gratiam quaerere, solemnis illi consuetudo. — *Simulare* fort. ex glossa.

XI. 1 (*pag.* 257). Amicos quoque, tam subita mutatione rerum, haud mediocris metus ceperat, reputantes nunc provocatam Asiam, nunc Europam perdomitam, Illyrios et Thracas et Dardanos, ceterasque barbaras gentes fidei dubiae et mentis *infidae.* — L. mentis *infestae.*

XII. 3 (*pag.* 309): Post haec Alexander habitum regum Persarum, et diadema insolitum antea regibus Macedonicis, velut in leges eorum, quos vicerat, transiret, *adsumit.* — L. *adscivit.* V. A. Gron. p. 808. Burm. ad Petron. 37.

XII. 16 (*pag.* 344): Qua nocte eum mater Olympias concepit, visa per quietem est cum ingenti serpente volutari [v. Schult. ad Sen. p. 85]; nec decepta somnio est: nam profecto maius *humana* mortalitate opus utero tulit. — L. *communi* mortalitate.

XII. 16 (*pag.* 345). Nam ea die, qua natus est, duae aquilae *tota die* perpetes supra culmen domus patris eius sederunt, omen duplicis imperii, Europae Asiaeque, praeferentes. — Glossa, *tota die.*

XIII. 5 (*pag.* 362). Quae recitatae praesente universa Graecia in mercatu Olympiaco magnos motus *fecerunt.* — L. *cierunt.*

XVI. 4 (*pag.* 410). Siquidem cum plebs et novas tabulas, et divisionem agrorum divitum impotenter flagitaret, diu re in senatu tractata, cum exitus *rei* non inveniretur, ad postremum adversus plebem nimio otio lascivientem auxilia a Timotheo

Atheniensium duce, mox ab Epaminonda Thebanorum petivere. Glossa *rei.*

XVIII. 7 (*pag.* 446). Post paucos deinde dies Carthaginem capit; evocatoque populo ad concionem, exsilii iniuriam queritur, belli necessitatem excusat; contentumque victoria sua, punitis auctoribus miserorum civium *iniuriosi exsilii*, omnibus se veniam dare dicit. — F. ex glossa *iniuriosi exsilii.*

XXII. 2 (*pag.* 480). Sic compositis rebus, immissis militibus populum obsidet, senatum trucidat: cuius peracta caede, ex plebe quoque locupletissimos et *promptissimos* interficit. — L. *paratissimos* e vestigiis Ms. ap. A. Gronov.

XXIII. 1 (*pag.* 495). Quippe ab initio pubertatis in silvis inter pastores *habebantur*, sine ministerio servili, sine veste, quam induerent vel cui incubarent. — L. *alebantur.*

XXIII. 2 (*pag.* 497). Igitur Agathocles, cum *morbi cura et aegritudo graviores* essent, et inter se alterum alterius malo cresceret, desperatis rebus, uxorem suam Texenam, genitosque ex ea duos parvulos, cum omni pecunia et familia, regalique instrumento, quo praeter illum nemo regum ditior fuit, navibus impositos Aegyptum, unde uxorem acceperat, remittit. — L. cum *morbus et aegritudo cura graviores* essent. V. Plutarch. Alexandr. p. 674. e, Casaub. in Apulei. p. 165, Suid. i. v. *Βιαιότερον* et Οἶ, *περισπ.*

XXV. 3 (*pag.* 525). Neque illi maior ex imperio, quam ex bello voluptas erat: nec quisquam Pyrrhum, qua *tulisset impetum*, sustinere valuit. — L. qua *ruisset impetu.* Liv. XXXVIII. 27, vel, qua *tulisset eum impetus.* v. A. Gron. p. 926. Liv. IV. 38. XXXVIII. 27.

XLI. 5 (*pag.* 688). Ita enim et praeruptis rupibus undique cingitur, ut tutela loci *nullis defensoribus* egeat; et soli circumiacentis tanta ubertas est, ut propriis opibus expleatur. — Glossa *nullis defensoribus.* Si Iensii ratio valeret, auctor scripsisset *tutela sui* [RUHNKENIUM voluisse arbitror expulsis suppositiliis vocabulis legendum esse: ut *tutela nulla egeat*].

XLII. 4 (*pag.* 700). Frater eius Orodes, cum regnum vacans occupasset Babyloniam, quo Mithridates confugerat, diu obsidet; et fame coactos in deditionem *oppidanos* compellit. — Glossa *oppidanos.*

XLIII. 4 (*pag.* 716). Sed has insidias mulier quaedam regis cognata prodidit, quae adulterare cum Graeco adolescente solita, in amplexu iuvenis, miserata *formae* eius, insidias aperuit, periculumque declinavit. — L. *fortunae.*

XLIV. 4 (*pag.* 729). Tum plane manifesto quodam numine inter furentes aestus ac *reciprocantes undas*, velut nave, non fluctu veheretur, leni salo in litore exponitur. — Glossa *reciprocantes undas.*

Lugduni Bat., *exeunte mense Aprili* 1853.

E. MEHLER.

BLADVULLINGEN.

Bij LUCIANUS, *Alexand.* 60, komt het woord πολιώδης voor, en de lexikographen hebben het als ἅπαξ εἰρημένον gedwee in hunne *thesauri* opgenomen. Het woord heeft echter zijn aanzijn te danken aan een' afschrijver, die slecht overgeschreven, of aan een' lezer, die slecht gelezen heeft. De plaats luidt aldus: Ἦν δὲ ἐν αὐτοῖς καὶ Παῖτος ἰατρὸς τὴν τέχνην, πολιώδης ὢν, οὔτε ἰατρῷ πρέποντα οὔτε πολιῷ ἀνδρὶ ταῦτα ποιῶν. LUCIANUS heeft stellig geschreven πολιὸς ἤδη ὢν. Uit de volgende woorden οὔτε ἰατρῷ πρέποντα οὔτε πολιῷ ἀνδρί blijkt ten duidelijkste de noodzakelijkheid der door mij voorgestelde verandering.

Bij STOBAEUS, *Append. e Ms. Florentino* (GAISF. IV. pag. 14. 9) wordt een fragment medegedeeld van Ὀξίθεος, een naam, wiens verklaring nog al moeijelijkheden zou opleveren. De man heette Εὐξίθεος (z. ATHEN. IV. 157 c [?]). De lacune in zijne woorden is gemakkelijk in te vullen: Ὀξίθεος ὁ Ἀθηναῖος τοὺς χρηστοὺς μὲν ἐν τοῖς .... ἀχρήστους δὲ κατὰ τὸν βίον ὁμοίους ἔφη εἶναι ἀγαθοῖς ἐνυπνίοις. Er stond denkelijk: χρηστοὺς μὲν ἐν τοῖς λόγοις.

L., *April* 1853. E. M.